

animus sentit: iterum bonum, faustum, felixque tibi sit! — Cummulate tibi. At ubi pater tuus, amicus mihi, quo nemo firmior? Conveniamus eum. (*Penularium sustinens, circumlit: depositae super eo vestes per solum effunduntur. In cubiculi angulo, apud subsellum consistit, in quo sedentem fingit Calogerum.*) Vide, vide quo se abdidit! O quam filiorum deliciae tibi sunt, Calogere! Quisnam te beatior? Euge, e latibulis istis erumpe, mecumque et cum Fridiano tuo in triclinium veni: opiparam enim coenam hospitibus meis paravi. Quid? Stomacho laboras? O te infelicem! Non ita tamen filius tuus, qui acrius, ni fallor, esurit. Eamus igitur nos, Fridiane. — Invitationem, Lentule mi, iterari quidem non exspectabo. (*Penularium rursus assumit ad portam usque protrahens*). — Praecede, puer. — Nunquam id fiat: honor enim tibi debetur. — Debetur tibi hospiti. — Imo tibi domus domino. — Non sinam. — Non patiar, echo! (*Penularium rustice excutit contra portam, dum haec aperitur a Stasimō redeunte, qui ita repentinum fert ictum.*)

STASIMUS. — Heu! heu mihi misero!

FRID. — Plagigerum hominum genus, numne etiam coecus es?

STA. — Papae! Ego sum oculis captus!...

FRID. — Ohe, cessa: tui me cepit iamdiu satietas! Periisti, nisi te iam e conspectu abducis.

STA. — Potius quidem me adigam ad suspendium, quam hoc pacto ultrius apud te serviam. (*Exit.*)

FRID. — Imo, nihil moreris, invercundissime. — Interea de mente cecidit cum mundiore subacula hanc mihi commutandam esse. (*Subuculam rapit, utque induat, post prothyrum reddit*). Quod fastidium vestiri! Hoc unum conspicuis hominum societatibus obiicio, peculia-

rem cultum ab iis requiri, crispatam subuculam ipsumque focale acriter amyata, et laciniatam vestem, turritumque illum galerum, quibus nescio an ridiculosius quidquam excogitari unquam possit. Quae haec est miseria! Quamquam istae lacrymae rerum in quaestione valde mihi non veniunt. Ego enim citissime, atque optime simul, omnia expedio; dumque foris exeo, nihil me videtur mundius, nec magis compositum, nec magis nitidum. (*Soccis interea se calceavit, pedemque effert a prothyro quasi in saccum per subuculam conditus*). Perfectae namque elegantiae exemplar cuique proponi possum. Quin et provisionis... Exempli gratia, quamquam certus sum in veste quam deposui nihil me reliquisse, tamen certior fieri volo. (*Huius vestis crumenas explorat, indeque magnam chartarum congeriem detrahit*). Inutilia omnia! (*Lacerat et in solo omnes chartas disseminat, praeter unam, in quam obtusum figit*). Neutram haec: schedula haec est Lentuli, — eius scripturam novi — qua certe nostrum interventum pressat: in memoriam humanissimi amici huiusque diei mihi memorandi diligenter servabo. (*In depositum pectorale adigit, quumque hoc in pigmentariam mensam demittit, sese inspiciens in speculum notat tonsoris opus circa caput suum incassum cessisse*). Hercle! Recens indusum per caput fendo, obliquati sunt crines. Eia, macte virtute, Fridiane; ostende te aptum ad omnia, ad idem tonsorium munus. (*Carpillos pectine ac cerussa incondite ac perpropere deducit*). Eequid nunc? Ah! focale, imo scorteum, albamque fasciolam.

(*Ad proximum numerum.*)

I. F.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (Via Umbria, 27).

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4½; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~

MONITA

Ad *Almam Romam* quam maxime vulgandam eiusque societatem facilius, praesertim in longinquis regionibus, expediendam, **subnotationem extraordinariam indiximus**, qua quisque scilicet ab ho- dierna die ad expletum annum MCMXV commentarium haberet, immutato annuae subnotationis pretio, quod est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12.

Qui autem integrum *Almae Romae* collectionem sibi cupiat usque ad mensem Decembrem MCMXV, mittat si in Italia libell. 14; undique extra Italiam libell. 17 (doll. 3,40; march. 14; rubl. 6½; sh. 14; coron. 17).

Circa eiusdem pretii transmissionem, quum tristi hoc tempore obligationis chirographa, itemque nummariae exte- rorum tesserae exigi in Italia non sine gravi negotio queant, publici cursus mandatum ceteris solutionis rationibus praferatur.

Socios denique illos, qui sive ex- presse per litteras, sive missos fasci-

culos retinentes debitum nobiscum con- traxerunt, nondum vero pecuniam redi- didere, vehementer rogamus, ut no- bis, sub anni finem graviori labore pressis, quamprimum satisfaciant.

Litterae et pecunia inscribantur sem- per JOSEPHO FORNARI, doctori, Roma Via del Governo Vecchio, 96.

Ne adolescentes

a latini sermonis cultu deterreantur (1)

Nunc denique de secessus necessitate aliiquid attingamus.

Mirandum minime est, si omnes illi qui ingenii laude floruerunt, sapientiae cupidi, urbium platearumque civibus frequentium pertaes, laeti in solitudinem, ubi ipsis liceret, commigrarent. Namque praeterquam quod felix illud silentium animum laborantem recreat et reficit, ita aptum est ad erigendam mentem eamque in caelestium contemplatione detinendam, ut nihil magis. Ibi scribere, legere, studere et agere potes,

(1) Vide in fasc. IV, pag. 65.

ubi et quo tempore velis, nullo timore ne interpellaris. Nunc ambulatum ire, modo in sole, modo in umbra; nunc ad limpidum fontem sedere, nunc amoenorum collum conspectu, nunc puro apertoque caelo frui. Haec appellari potest vita digna cui invideatur. Veteres sapientes apprime illius felicitatem noverant, ideoque ita dixisse mihi videntur: «Sinite, o adulescentes, sinite in urbibus civibus frequentibus viis versari ambitiosos, quique divitias cumulare student, quique a multititudine salutari cupiunt: nostra enim, haec nihil intersunt».

Pace enim atque otio quo in secessu fruitur, facile animus noster ad eam veterum vitam rapitur usque eorum concalcescit, quorum opus fuit *Romanam condere gentem*. Qua consuetudine, eae leges, quas ii qui primi locuti sunt sermoni imposuerunt, iam non videntur nos fastidire, quin etiam summa voluntate e recta bonaqua loquendi ratione animus perfunditur. In Vergilii vel Ciceronis scriptis quum illum candorem nitoremque sermonis hauseris, quid dulciss, quid nobilius? Haec sunt spectacula, haec sunt lucra quibus illi praestantissimi viri quos humanistas vocant, apprime capti in pervolvendis latinis scriptoribus tempus et operam diu notumque insumbent.

O tempora! o mores!

Quam mutati sumus ab illis!...

Adulescentes vero, nullo terrore commoveantur; ipsi latinum sermonem ament, colant in dies; ne tantorum patrum indigni videantur. Nos omnes qui e sinu Christianae Ecclesiae orti ab ipsa, veluti a peramanti matre, latino sermone depasti fuimus, eorum exemplo qui tanta cum nominis celebritate, posteris omnis generis eruditonis sectanda vestigia reliquerunt, assidua contentione et diligentia ita efficiamus, ut vota Summi Pontificis, tum sanctae nunc memoriae

illius, qui *Almam hanc Romam nostram* inauguraravit, tum eius successoris, quem Deus diutissime sospitet, atque omnium bonorum, amplissimis fructibus cumulentur.

Tuscaniae.

Doct. ALEXANDER AURELJ.

DE CONFLICTU SLAVONIOS INTER ATQUE TEUTONES

HISTORICAE ANIMADVERSIONES

Quod bellum nunc tot Europae populos acerrime discruciat, veluti diuturnae Slavonios inter atque Teutones contentionis funesta conclusio iamdiu a multis historiae eventus attente perpendentibus praevisum est. Memini leguisse me iam abhinc annos undecim in Anglico commentario cui titulus *Contemporary Review* (1) de re nonnullas animadversiones, « Quidam » subscriptas, quae si magni ponderis tum visa sunt, maximi quidem momenti in praesens apparent, ita ut eas hodie revocare non inutile quidem putaverim.

At vero, quo clarius enitescerent quae affinitates et clientelae inter utramque gentem, praecipue vero inter Russicum Germanicumque imperium intercederent, scriptor in primis animadvertebat superioris aetatis recolere eventus opportere. Quae terrae enim media, quam dicimus, aetate, Germanorum fines ad orientem constituebant, quaeque Russicis armis hodie occupantur, silvestres profecto remotis illis temporibus erant, easque sibi a Deo traditas Germani credebant, ut multitudini gentis suaee

(1) Mense Ianuario MDCCCCIII.

multiplicandae paterent. Quamobrem a decimo secundo saeculo post Christum natum, ad decimum octavum, e Germania demigrantes cives in iisdem sedem suam posuerunt; quumque eos internonnulli fuerint virtute pariterque gladio potentes, orientalem eam regionem legibus datis subiecere, nativosque incolas Evangelio Christi addixerunt. Germanorum itaque agricolae eas silvas coluerunt, ubi paulatim urbes exstructae, parati portus sunt, omnisque humanitas funditus excitata.

Huiusmodi immigrationis beneficia Russici Caesares pro meritis aestimantes, Ivanus III et IV, Petrus ille Magnus, Catharina eius filia novos semper Germanos in suam patriam accivere, quibus curas reipublicae praecipuas committerent. Balticis in provinciis, Germanorum cultus late ita diffusus est, ut athenaeum Dorpatii in urbe conditum fuerit saeculo fere ante quam russicum primum Moscowiae in urbe capite ponetur. Quapropter urbes paene integras oppidaque in ditionem Germanorum illic esse videbantur, atque germanici mores, tum lingua, tum fide, tum ludis ubique praevalebant.

Hae vero saeculo XVIII paulatim mutatae sunt vices, praesertimque post Nicolaum I^m Caesarem in regnum assumptum. Quum enim Russi quoque suae gentis nomen diligere edoeti sunt, Germanorum immigrationi obstarre arctius in dies sunt conati. Nihilominus Germani Russorum hospites non omnino defuerunt, ita ut non pauci adhuc reconstentur, et anno MDCCCLXXIV quadraginta et amplius diaria per Russi cum imperium vulgarentur Germanica lingua etiamtum conscripta.

Quum vero Alexander III imperator regno est potitus, balticas provincias Russicis moribus imbuere omni conatus contendit, eoque ritu, ut Finlandenses

privilegiis, iuribus ipsaque libertate paulatim privarentur.

Anno MDCCCLXXIV novorum templorum pro lutherano ritu vetita exstructio est; matrimoniaque nulla declarata, quae lutheranus quisque cum russicae religionis muliere contraxisset. Tres post annos Germanorum scholae omnes ipsumque Dorpatianum athenaeum sunt regio decreto abrogata, germanici magistratus dimissi, germanicaeque linguae usus compressus. Successit eadem aetate Caesaris edictum vetans, ne per occidentales Russiae regiones peregrini terras possiderent. Iussi sunt omnes qui magistratus adirent russica lingua uti, etsi neuter litigantium ea calleret, mutatumque est usque germanicis urbibus nomen, quae ex Dorpatio et Dunaburgio, Jurjewia atque Dwinskia factae sunt.

Quae inde et quantae Germanorum irae commotae fuerint nemo dicat. Per eas enim provincias Germanici cives ad triginta usque centena hominum millia commorabantur, qui abditam passim fovebant spem, fore plane ut suas terras quandoque Caesar Germanicus patriae addiceret.

Res vero contra hanc spem iis successerunt; qui enim opera sua constanti omnem cultum et humanitatem illuc attulerant, hi in Russorom unice bonum eadem conversa viderunt.

* *

At Russis vicissim Germanos finitos haud multo studio colendi causae non deerant. Ingrati enim animi, ut alia omittamus, eos incusabant praefaciis, quae Russi in Germanos contra Napoleonem victorem profuderunt, qui profecto suis viribus Germaniae terras ab ultima clade sospitarunt.

Iamque, veluti anno MDCCCLXVI Napoleon ille minor frustra speravit se Borusses inter et Austros mediatorem pacis fu-

turum, ita Gorciakofius anno MDCCCLXX Galliam validorem putans falso ereditus se Borussici belli in fine arbitrum pacis esse deventurum.

Inde animi Russorum in Germanos parum iam benevoli facti sunt. Cuius inimicitiae semen quum Bismarckius ille vir sagacissimus animadvertisset, Caesaris Russorum animum avertere a re omni ope sua studuit. Quem ad finem eius incitare consilia adversus impios factiosos praesertim contendit, quos *nihilistas* vocant. Hos igitur ut repellerent Russi atque Austri, pariterque Germani anno MDCCCLXXII foedus ferierunt, quo praesertim in Polonorum studia obligarentur ad invicem, qui instaurandae patriae suae in dies magis impatientes videbantur.

At mutua illa contentio ex Berolinensi conventu anni MDCCCLXXVIII incitata iterum est, quando dum Russi iamiam Byzantium victoriae fructum occupant, Bismarckius ille viam aemulis interclusit, pretium victoriae abstulit, dedit Austris Bosniacam Chulmiaeque provincias, unamque Rumenam Bessarabiam Russico imperio addixit. Qua quidem ratione duplum utilitatem Germaniae obtinuit: odium seruit Russos inter et Austriacos, necessarium insuper hisce reddens foedus cum Germanis, aemulosque pariter reddidit Russos atque Rumenos, qui quum Russos contra Turcas adiuvassent, a sociis ipsis Bessarabia provincia privatos esse quererentur.

Berolinensi conventu peracto, Skobelefius, Russorum dux, clamavit: « Bellum Slavos inter et Germanos necessarium factum est, idque maximum erit atque ita terrible, ut nullum aliud bellum antea fuerit ».

Vera illum praedixisse, hodierni eventus heu! planissime docent.

LUCILIUS.

Q. Horatii Flacci epistola ad Augustum.⁽¹⁾

Lectissimi iuvenes,

Ne vobis sit grave, precabor, me etiam morari in tribus illis verbis intimius explanandis, quibus Horatius *negotia Caesaris Augusti* commendare voluit. Quae enim potissimum ad principem omnibus virtutibus exornatum attinent, qui in civium utilitatem incumbat? Ut armis eos secure tueatur atque ab externis hostium incursionibus defendat, domi eos sancte vivere doceat, ut pace moliter fruantur, legibus eos in dies meliores reddat. Sed quae rerum curarumque moles in uno modo homine! Ad haec omnia, auctore Horatio, blandius atque veluti manu sapientissimus princeps Romanos iam non agrestes et rudes facile perducit.

Longo sermone morer... — Nihil enim est viro sapienti tam grave, nihil tam molestum, quam tempus in rebus inanibus terere. In mentem revoca et illud acerrimum Vergilii monitum, apud divinum nostrum poetam:

Il perder tempo a chi più sa più spiace.

Nec tamen profecto tempus me perditur puto, si hic vos obiter monebo, ut abstineatis ab illa fallaci recentiorum sapientia, qui latinorum scriptorum verba passim inscienter pro arbitratu depravant. Quis enim ex vobis, qui vel e limine latinas litteras salutaverit, presentia *morbis exornes*, rectius elegantiusque esse legendum dixerit: *moe-nibus Romam exornes?* Quis huiusmodi insaniam poterit ferre? Haec mea novissima verba ad *Butleium* praesertim referam, qui saepe miseriorem in modum Horatium acutis sane, sed ineptis

(1) Cfr. num. sup.

lucubrationibus deformavit. Eius tamen opinio nec late percrebuit nec in voce atque sermone multorum esse coepisset, nisi quorundam opere vigeret, qui litteras, ut mutuem verba Thomae Valerii, quaestui habentes non tam nominis claritate quam vafritia et factiōnibus pollent.

Haud sumus equidem nescii plurimos in Germania, nostris praesertim temporibus, acerrimi iudicii viros exstissemus, qui laudabiles in Horatio labores sustulerint, eiusque gloriam apud suos renovarint, atque fructus minime poenitendos retulerint. Sed

*sunt certi denique fines,
quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

Legibus emendes... Significat praecipue emendationem formae totius reipublicae, post turbulentia illa bellorum civilium tempora, in primis accuratam Italiae ac provinciarum administrationem, ad quam sapienter attentisque oculis resperxit Augustus. Cuius ob egregia facinora populus Romanus sic, honoris gratia, mutato nomine, Caesarem Octavianum adpellare consuevit, tamquam esset nova gloria ac maiestate auctus.

Romulus et Liber Pater et cum Castore

[*Pollux,*

*Post ingentia facta Deorum in templo recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, aspera
[*bella*
Componunt, agros assignant, oppida condunt.
Ploravere suis non respondere favorem
Speratum meritis.*

Hoc erat in more positum apud Romanos, ut si quis e civibus ob praeclaras negotias extolleret, post funus inter caelostes adnumeraretur. Quid mirum, si Horatius, velato modo, quo mollius Augusto aduletur, eum viventem cum Romulo Liberoque componat, cum eius opera excellentia ad sidera tollat? Romulus autem primum novae urbis cives

ad humanitatem vocavit, Augustus, post tot labentia saecula, Urbem iterum condidit, legibusque sapientissimis exornavit.

Liber idem est ac Bacchus. Hoc autem nomine ipse gaudet, quod qui vino nimius indulgent, *liberrime* se se gerere consueverunt. Scripsit enim poeta: « *vi-noque levant curasque sitimque* ».

Pater, reverentiae gratia sic nuncupatur.

Heroes illi antiqui, bene de patria meriti humanoque genere, post mortem tandem ab hominibus antea forte invidis, iustis honoribus cumulabantur ac pro diis colebantur. Et apud recentiores data semper iis fuerunt gratiae ac merita, qui eximiis virtutibus ad veram gloriam eamdemque caelestem grassarentur. Sed quo nomine hi vocantur? Quum nobis Christi sapientia instructis haud liceat inter deos aliquem adnumerare, tota enim christianorum religio unitate Dei nititur, optime dicimus atque eleganter: *inter caelestes recipi* illos qui multis virtutibus ornati diem obierunt supremum, eosque *sanctos* vulgo vocamus.

Quid vero dicendum de voce *Divus*? Vel ipsa sapientia christiana respuit hanc appellationem tamquam a recta scribendi ratione abhorrentem. Romani enim auctores quum scriberent *Divus Augustus*, *Divus Claudius*, idem plane valebat ea vox atque *Deus Augustus*. Ac propterea omnibus satis perspicuum arbitror, inepte ac nonnullis *divorum* nomine donari viros, quibus Pontifex Maximus caelestium honores decrevit. Plane hospes et rudis in christiana doctrina sit, oportet, quin sciat, beatos huiusmodi caelites divorum numero non censeri, neque solum indocte, sed impie facere videtur, qui hunc veteris superstitionis atque adulacionis titulum iis affingat, perinde ac si ad humanum genus non pertineant. *Sanctus* autem pro-

prie est idem ac *sancitus*, decretus; sed quum dicitur de hominibus, significat integrum, bonum, probatis moribus, innocentem, iustum, atque adeo dignum qui observetur ab hominibus, violetur a nemine.

Terras colunt... Quum primum Romulus condidit Urbem, quae uti fertur a suo nomine Roma adpellata est, ut ad ipsam plurimos habitatores acciret, inter omnes, qui late circa frequentes amore locorum accurrerunt, agros dividendos curavit, quo victum sibi tutius compararent domumque obtinerent. Quod recentiores *ius dominii*, seu *res mancipio possidere* adpellant, vel ab ipso rerum initio, apud omnes gentes in more positum fuit. Illa vero generis humani aetas, quando nimirum omnia fuisse communia dicuntur, atque in medium unusquisque ex voluntate quaevisset, est admodum inter aniles fabulas conferenda.

Poeta noster, quum maximam omnium laudem Augusto adtribuere vellet, cum antiquis heroibus componere haud dubitavit, eo praesertim nomine, quod Romanos ad agriculturam adsidue revo caret, ut se ipsi ad pristinam morum sanctitatem in agris procul negotiis informarent. Suetonius enim ita de Augusto narrat: «Italiam duodecim coloniarum numero deductarum ab se frequentavit».

Colunt: enallage, idest pro *colebant*... non adeo hoc verbum *habitare* significat quam etiam *curare*... Ut ipse Horatius dicit:

Ille colit terras, illi mea carmina curae!

Agros assignant... Urbium conditores terras colendas primum distribuunt. Ita lites rixaeque obtruncantur, ita pax omnia bona confert, quum suus cuique sit agellus, et quamvis «modus agri non ita magnus» sed suus, suique iuris.

Sic primis temporibus, quum terra nullius esset, mos erat, sicque terrarum cultus hominibus commendabatur.

Hanc autem quum memorat felicem aetatem poeta, quid ipse mente moestus volutat? Acu fortasse rem attingere arbitrabor, si haec ipsa verba, subtili quodam velo obducta, ad colonias illas referam, quae nunc Vergilium, nunc ipsum Horatium feriunt. Ipsi enim, ob praemium, quod Caesar paullo ante in agro Mantuano ac Venusino, militibus suis, post ingentia bella assignare adscripsit, ad pauperiem redacti, Roman petere coguntur. Quae rerum hominumque turbatio! Quae malorum colluvies in poetas quoque ingruiisset, nisi Caesar, praesenti auxilio, eis praesto fuisse!

In mentem revoca moestissima illa carmina, quae Vergilius usurpat in prima Ecloga:

*Nos patriae fines et dulcia linquimus arva!
Nos patriam fugimus!
Impius haec tam culta novalia miles habebit,
Barbarus has segetes!*

Heu! nimis infelix antiquorum populorum fatum! Ratio vivendi si erat adeo populis gravis et luctuosa illa aetate, ob horribilia bellorum pericula ac militum iactantiam, haud minus fuit quae Italos nostros premebat illo praesertim tempore quod *medium* adpellare consuevimus. Ad rem optime faciunt nobilissima Manzonii nostri carmina, quibus graphicce, more suo, per immanes Longobardorum Gallorumque incursiones, sub Carolo Magno duce, ob oculos ponebat miseram Italorum conditionem. Nec autem me a vobis incusari velim, quod mordicus nimis sapientiae adhaerens ac vestigiis immortalis magistri mei fusius ac frequentius in medium haec, data occasione, excellentiora poetarum italorum carmina referre audeam. Ut olim apud Mantuanos, recentes incolae cum antiquis terras

simul habuerunt, sic Longobardi et Galli cum miseria Italiae incolis laetiores regiones obtainuerunt. Et quomodo? Quam vere narrat poeta, quamque atrociter!

*Il forte si mesce col vinto nemico,
Col nuovo signore rimane l'antico,
L'un popolo e l'altro sul collo vi sta.
Dividono i servi, dividon gli armenti,
Si posano insieme sui campi cruenti
D'un volgo disperso, che nome non ha.*

Ita in choro apud tragoidiam, cui est titulus: *Adelchi*.

Haec mea sunt, aiunt, veteres migrate coloni!

Oppida condunt: idem est ac urbes, etiamsi *oppida* strictius nihil aliud sibi vellint quam *pagos*.

Summa semper hominum potestas admodum ponitur in bellis contra hostes opportune serendis, et post *aspera bella* pacem populis victis indicere; vel si pressius nos dicere volumus, ubi solitudinem fecerunt, ibi pacem adpellant. Quid vero sanctius sibi proponere consueverunt recentiores in tot bellis fecrociter indictis?

Sed eo tempore, multis laudibus Augustus ad caelum merito ferebatur, quod domitis undique triumphatisque hostibus, pacem cum omnibus composuerat, vel cum Parthis, quos admiratione domuerat nec unquam vicerat.

Ploraverunt, idem est ac *querebantur*; quod homines, in quos beneficia ac munera adsidue ipsi inferrent, minime animum gratum aequumque in benefactores depromerent. Namque Romulus, in aetatis flore, obtruncatur a suis, et Bacchus est in exilium actus; et multi insuper bene de factis meriti, alii alio modo miserrime per invidiam perierunt. Namque opera ipsa odium invidorum exacuerunt, atque nunquam laus, quae eis identidem coacte fortasse permittebatur, ad merita adsurgere poterat, quae laboribus suis conquise-

rant. Haec verba occulta quadam adulatione fucata in laudem Augusti unice intelligi possunt. Quod quidem ex ipso poetae animo argui posse videtur, vel a centum aliis locis, qui in suis carminibus apertissimi Augustum respiciunt. Id enim constat apud omnes, nunquam adeo prolixus est tamque longus Horatius quam in laudibus Caesari adtribuendis. Attamen se se candide excusat:

*Sed neque parvum
Carmen maiestas recipit tua, nec meus audet
Rem tentare pudor!*

Quae quum ita sint, haud equidem Augustus queri posset de grato Romanorum animo, nec de poetis, qui eum omni prorsus invidia maiorem praedicabant, ac perpetuis carminibus vel *Deum* adpellare solebant. Hercules vero et pater Liber haud prius dii fuerunt vocati, quam vicerint suorum viventium invidiam. Omnes homines gloriam sibi obtinuisse parem meritis, semper sunt plurimisque verbis conquesti; utrum merito an iniuria, nescio. Quid dicam? Et ipse Manzonius noster, aequus ceteroquin atque acerrimi iudicii vir, in quodam suo epigrammate, hunc pravum quorumdam morem secutus, postquam Vincentii Monti, poetae aetatis sua ingenium immensis laudibus sustulit, querens in eos qui acerbiores inimicitias in eum exercuerant, neque gloriam parem meritis contulerant, ad posteros conversus, immortalitatem ei atque admirationem maiorem praesagiens, indignabundus exclamat:

*Salve, divino, a cui largì natura
Il cuor di Dante e del suo Duca il canto!
Questo fia il grido dell'età ventura,
Ma l'età che fu tua tel dice in pianto.*

Erravisse, nimio fortasse amore abreptum, Manzonum quis neget? Nam-

que nos qui eius posteritati utique intersumus, dum Vincentium Montium nobilissimum poetam dicimus atque dite vena copiosum, suam iam gloriam obtinuisse vel citra meritum apertissime confitemur.

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

*Nam quos alumnos huc Pater advocat,
ardet futuros cernere filios,
vexilla qui Christi sequantur,
dum praeit ipse piam cohortem.*

*O cara pubes, cui iuvenilibus
fas est ab annis docta volumina
versare, nec laedi periclis,
queis hodierna patent lycea!*

*Grates benigno reddite Numini,
ac una vestrum cura sit omnium:
utramque vobis praestitutam
curriculi tetigisse metam.*

*Amate Christum, cuius et inclitam
nemo Parentem segniter ardeat;
auras inanes namque captat,
quisquis agit sine caritate.*

*Tum pensa solvat quisque scholastica
longeque turpem pellat inertiam:
quae cuncta fiant ordinatim,
ut sua cuique rei sit hora.*

*Sic vos Chilenae gentis apostoli
crescetis apti, quaerere seduli,
ipsas nivosas inter Andes,
quotquot oves perierte Christo.*

F. X. REUSS.

Princeps Chilenae gloria patriae
urbs est Iacobi nomen apostoli
sortita, sacris et profanis
Americae celebrata fastis.

Non inde multo dissidet oppidum,
cui dulce nomen mellifer indidit
*Bernardus abbas, ore natus
suavidico, rapiente corda.*

Heic tecta surgunt hospita, iunior
quo multa pubes confluit, arduam
ut discat artem, quam latina
grammatice docet atque graeca.

Sacros ephesis afflat ab aethere
Alfonsus ignes; quos ita litteris
vult eruditos, alma virtus
ut parili studio colatur.

(1) Patres a SS. Redemptore, quorum legerif parens est S. Alfonsus M. de Ligorio, cum in ceteris Americae meridionalis regionibus, tum etiam in Republica Chilena non pauca constituerunt domicilia. Inter haec, peculiari mentione dignum videtur Collegium situm in oppido *San Bernardo*, haud procul ab urbe principe Sancti Iacobi (*Santiago*) ubi iidem Patres Scholam litterariam, quam vocant *Apostolilicam*, aliquot ab annis

aperuerunt pro iis nempe pueris in quibus signa apparent vocationis ecclesiasticae ac religiosae. Alumnorum numerus nunc est quinquagenarius. Haec accepimus a Rectori memorati Collegii, eaque non invite evulgamus, una cum adiecta Oda alcaica, quam ad huius Scholae Alumnos nuper misit socius noster Franciscus Xav. Reuss, eiusdem religiosae Familiae sacerdos.

Varia latinitas

ANTH. LAT. I, 427: (*De voluptate adsidua per noctem*). Hoc carmen elegiacum pervenit ad nos vel nimis mancum et fere in particulis errabundis; ita ut frustra elaboraverint qui supplere aut in integrum reddere conati sunt. Quidam vero sensus a primis duobus distichis desumi potest; reliqua sunt frustula. Versus 3, partim mutilus, ita restitutus fuit a Müllero :

Solis ad occasus, solis sic testor ad ortus.

Non video cur illud obsecrationis verbum hic esse debeat; in locum eius ponere non dubitaverim simplex et commune adverbium *semper*:

Solis ad occasus, solis sic semper ad ortus.

IIBID. 839, 2:

Vir fuit egregius et bello clarus et armis.

Riese, Baehrens, Ziehen reiciunt *vir fuit*, quippe cum nihil aliud sit nisi principii versus inanis repetitio. Substitutum est vel *visitur*, vel *viribus*, vel *moribus*. Nuperrime Clark (1) proposuit legendum esse *virtute*, quamvis et ipse adderet: Ego autem omnino affirmare non possum quin repetitio vera et ingenua non sit (*but I am not all sure that the repetition is not genuine*). Quae Clarkii sententia potest, non sine causa, in eo niti quod in eadem *Anthologia* passim exempla reperiuntur in quibus easdem res, eadem verba per quamdam fere gravem significationem accepta offendas. Neque oportet hic dicere, interdum repetitiones esse necessarias, idcirco haud semper

(1) Cfr. *The Classical Review*, 27, 1913, pag. 260 et seq.

(2) Vide quae ad hunc locum POUTSMA

valere ad quemdam scriptoris locum infirmandum (2). Utcumque autem se res habet, quoniam a conjecturis nemo prohibetur, dum modo veri similes sint, dicam et ego quod sentio. « Ad abundantiam » legerim v. 2: *vixerit egregius* (melius forsitan *vixit et egregius*).

Versum autem 1 qui ita legitur:

Vir fuit iste ferox, qui torvus fronte verenda (in quo sermo est de Q. Fabio Maximo), ausim paululum immutare hoc modo:

Vir fuit iste ferox, qui torva fronte verendus, adductus exemplo cuiusdam loci Petronii (?):

Torva solum sub fronte latebat, et quadam simili loco Martialis (*Epigr. IV*, 14: *ad Silium*):

Nec torva lege fronte...

IIBID., 255:

Uberaque o tibi et potum admovere malignum.

Burmann, ad corrigendam lectionem *uberaque*, proposuit legendum esse: *ubera quaeque tibi*. Nonne melius erit legere: *ubera namque tibi*?

M. GALDI.

COMMUNIA VITÆ

Prandii descriptio.

SUBALPINUS *Almae Romae* Moderatori, rerum dulcissimo, s. p. d.

Ehus tu! promittis ad caenam, nec venis! — Haec, quae Caius Caecilius Plinius Secundus festive atque argute scripsit, conquestus quod amiculus non

(*De repetitionis genere quodam*) in *Mnemosyne*, Bibliotheca philologica batava N. S. XLI. 103-4, scribit.

venisset caenaturus domi apud ipsum, mihi in mentem pro re nata venerunt hesterna die, quum te apud Ioannem, familiarissimum nostrum, inventurum esse sperabam. Id vero tibi in damnum unice vertit, fortasse et nobis: sed, quo rectius dicam, omnibus. Omnes te diligentissime oculis quaeritabant, te, quum novus hospes tacitis cunctis adveniens renuntiaretur, nominari exspectabant; te denique absentem nostris sermonibus ineluctabili modo inserere conabamur. Quae mensa! Hanc non modo dubiam appellaveris, ut Terentii verba mutuer, sed paene innumerabilem; et quam succosam, quamque exacuentem palatum!

Ut autem cuncta per ordinem describere valeam, a convivis incipere opus est.

Erat in ipsis Petrus, verbosus ille vir atque omnium mensarum optimus acerrimusque magister, quem semper apud omnes caenaturum invenies, ut nonnulli, romano nomine, Lucullum iocose adpellare conueverint. Aderant quoque Iacobus, Aloisius, Gregorius, quos equidem nosti, umbrasque adsiduas in universis prandiis iamdiu interesse, quosque mutuo aliquando vocari, ne tredecim sint convivae, qui numerus sacer est apud multos atque ominosus. Et hunc numerum sibi falso infaustum superbum aliquot potentiorum hominum ingenium vel ista aetate superstitione autumat. Horum autem facies hilaris admodum ac perfuse beata lucescit, et leviorum hominum superstitionem irridens, secura omniq[ue] cura soluta, tacite secum ipsa mussitare videtur:

Si bene caenat, bene vivit, lucet; eamus quo dicit gula!...

et fastidiose timidorum religionem spernit.

Adnumerantur insuper qui in urbe praestantiores in rebus publicis aesti-

mantur, quippe, data occasione, ad commensales iam ebriolos atque vino cibisque perstreptentes sermonem habent. Ipsis plausus ultro ac laeto favore undique datur. Scis enim verissime Horatium dicere:

Fecundi calices quam non fecere disertum!

Constat autem apud omnes Ludovicum Vallisumbrosae comitem, studiis polllentem, magis sed ambitione quam prudentia, eo potissimum niti, ut aliquando inter eos cooptetur, qui *deputati* nomine recentiore et significatione appellantur. Hac quidem labente aetate scis *deputatos* nos vocare homines, qui a populo suffragii deliguntur, legibus ferendis et annuis vectigalibus decernendis, et Romae, in palatio cui vulgo est nomen *Montecitorio*, artem dicendi gloriose exercent, de rebus saepe omnibus et de quibusdam aliis impune disserentes.

Hic enim lateribus potius validior quam sapientia, quamcumque nactus occasionem, orat semper et alloquitur, illuc omnino spectans, ut plausum eiatur, ut populi ingenio callidus inserviat. Quem, si quis Orbilius plagosus esset, verberibus suis ad silentium optime revocaret.

Sed ad rem proprius veniamus. Hospes hilari vultu iamdiu in ipso triclinii vestibulo comparrens, nos elata voce monet omnia iam esse parata et tempus adesse quo ad mensam accedamus. Vox salutationis ex omnium pectoribus erumpit.

Paulo ante domi famulus exquisitissime comptus apparet, argenteum eumdemque capacem catinum gerens, ubi complures sunt positi caliculi tersissimo vitro confecti. In magnis enim conviviis nunquam deesse fas est vini cuiusdam degustationem, quo melius stomachus ad esum paretur. Hunc vero gulæ stimulum veteres, adeo in prandiis ordi-

nandis ingeniosi, omnino ignorarunt. Nos vocabulo novo, imo barbara voce, *Vermouth* vulgo appellamus. Multimodis pravas turpesque videmus potionem, quae hoc nomine in vulgus adhibentur, sed omnium sane exquisitissimae habentur, quae ex officinis Augustae Taurino-

rum exeunt atque in omnem late orbem terrarum, magno equidem gentis nostrae lucro atque ornamento progrediviuntur. Ex ipso convivarum vultu hilaritas singulorum facile ab exordio clarescit.

(*Ad proximum numerum.*)



Ingenuarum artium specimina

VILLICUS LUDIMAGISTER.

Ludum dixere Latini quamvis animi vel corporis exercitationem recreandi causa susceptam; metonymice autem ludus fuit locus, in quo corporis aut ingenii vires exercebantur, ut palaestra et schola, quae, ut ait Festus, ideo litterarius ludus dictus est, ne tristi aliquo nomine fugerent pueri suo fungi munere,

vel, ut alii volunt, quia studium literarum liberalis ingenii ludus fieret.

Quis vero negare audeat scholam pro puerulis istis, quos italus pictor Iosephus Costantini repreäsentavit, et vos in hisce paginis hodie conspicitis, non equidem translaticie sed propria significatione ludum esse? Dum enim miser paedagogus, ferulae sceptro congruenter munitus, succenset atque exanimatur ut numerorum rationes fungulorum suorum menti sculpet, ne discipulorum quidem dimidia pars conatus eius sequitur; sed

alii alio festive intendent; quinimo eorum alter, recordiae suae iam poenam sustinens, eo arrogantiae et ingenuae audacie processit, ut ad professoriae vestis fimbrias chartaceam caudam sit adiecturus, qua comitum, quando eam viderint, iucunditate quisque sibi effigere potest.

Rerum dispositio, habitus oris, oculorum acies, vis propria singulis figuris, venustissimam hanc tabulam faciunt, dignam profecto quae inter selecta recentioris artis italica specimina, in genericam pinacothecam Romae referretur, cui recens acquisita est.

X.

NOSTRAE RES

QUAESITIS AD REFERENDUM RESPONSIONES.

Spicas in hoc campo uberiores colligere nobis oportet: spatii enim angustiae omnes referre prohibent consilia nobis oblata, eoque magis quod, fatemur, eorum nonnulla tam abstrusa nostrisque propositis contraria visa sint, ut ne mentionem quidem facere opportunum duximus. Exempli gratia, quanti nobis habenda esset Gallici cuiusdam socii rogatio, ut in commodum illorum qui parum latinam linguam callerent, cuiusque fasciculi supplementum ederemus articulorum versionem continens?

Hinc cogitet socius clarissimus I. G. Mediolanensis, num, licet in optatis nobis fuerit, «classicam magis latinitatem tueri *in singulis articulis redigendis*» possibile, nunc saltem, fiat. Nobis adagium illud servandum est: «In medio virtus». Absit tamen superba praesumptio, nos reapse virtutem attigisse!...

H. K. ex Brasilia nobis auctor fuit, ut rerum index in unoquoque fasciculo praeberetur, isque positus in prima operculi pagina; ad quem finem statuae Romanam effingentis basim suppressam malebat. — Atqui, nedum architectonicae artis elementa violaremus, morem ei gerentes, speciem illam eximiam quam nos mente concepimus et habemus, artifex autem, — excellentis spei iuvenis magnaeque religionis, — feliciter reddidit, omnino oculis subiectam fidelibus nonquam non exprimere abiceremus. Figura insuper aquilae illius celeberrima est inter Romanae antiquae artis specimina, sua ipsius etiam significatione; quippe quae in portico Constantianae basilicae collocata iam antiquitus fuit. Idem dicas de Urbis statua tamquam insigne *Almae Romae* posita, in summo Capitolio ab ipso Michaële Angelo Bonarrotio aptata. Quamquam non inficiatiamur indicis rerum defectum iure ab aliquo deplorari posse; quin etiam addimus ipsos nos de illo removendo iam, primum *Almae Romae* fasciculum proelo committentes, fuisse sollicitos. Fuit igitur qui inter nos suaderet, ut rerum indici primam paginam (quae igitur textu careret) dedicaremus; fuit qui eum parvis characteribus conditum ad ultimam vellet demandatum. Vicit opinio, ipsum ad finem cuiusque voluminis adponendi per argumenta dispositum. Id itaque proximo Decembri mense expediemus: quod si maxima sociorum pars aliter desideret, expromat, nosque satisfaciemus.

Restat ut de consiliis duorum sociorum Romae degentium mentio hic fiat; quorum alter, P. A. A.: «Incense velim — scribebat — ut *Alma Roma* pro cognitione scriptorum christianorum qui per latinitatem excelluerunt acerrime et constanter pugnet». Re quidem vera, nemini dubium est non in scholis tantum publi-

cis, sed in ipsis seminariis hanc lacunam moerer, quae non in unius eruditio inopiam cedit, sed ipsam animi efformationem offendit, eorum praesertim qui Iesu Christi cultui destinantur.

Neque longe abest, imo praefatas animadversiones quodammodo perficit, alterius socii, H. I., mens, hortantis ut nonnunquam in nostro commentario opportune vulgentur excerpta ab elegantibus scriptoribus parum cognitis, atque tamen valde probabilibus. Quo autem intentionem suam re expediret, paginam is ultro ad nos misit a clarissimo Cordara desumptam, optime quidem exaratam, quae tamen argumenti vitio, pro commentario nostro, affecta nobis visa est. Requirat alia igitur, pluresque cum eo socii requirant et mittant, eaque, quae neminem ulla ratione offendere possint, sintque alicuius momenti pro omnibus.

Quum autem in arguento simus, animadvertere lectores omnes iuverit, sive carmina sive soluta oratione scripta quae laudes alicuius privatae personae unice celebrent, a nobis omnino reiici.

Post quae claudamos rivos: *sat enim iam prata biberunt.*

ALMA ROMA.

ANNALES

Bellum horribile, quod tres iam menses tetrorema per Europam exercet, nondum ad finem properet, suum amplificat campum: etenim et *Turcae nunc in certamen descendunt*. Qui quidem abhinc tribus diebus ex improviso in Ponto Euxino Russorum cursoriam navem unam, ballistarias tres, scaphamque ad incendiarios globos fluctibus subponendos submerserunt, tormentisque

petierunt urbes Theodosiam, Odessam, Sebastopolim atque Novorossiskum. Interpellationi autem de re factae responderunt, se ad huiusmodi actum fuisse coactos, ut scilicet impedirent quominus Russi propositum suum exequerentur Bosphorum hostili manu occupandi, divisamque inde Turcarum classem opprimendi. Quidquid de huius mentis veritate fuerit, id certum est, Teutones novum belli socium palam nunc habere, qui hostiles successsus ad orientales belli fines profecto remorabitur.

Equidem prospera fortuna Russis superiori mense favit satis; quibus si Przemysl urbs ab obsidione liberanda fuit, fuitque necesse ad San fluminis ripas sese recipiendi, atque Czernovitz, Bucovinae caput iam occupatum, dersendi, ne copias illuc missas solas relinquerent; valuerunt tamen a Poloniae offensione Teutones retrahere, eosque in suas regiones impellere, ibique sese valide munire; ipsi contra nonnullas victorias in Galicia reportarunt.

Maiores vero Germanis in Belgica contigerunt, qui ea quae expetebant consequuti tandem sunt. Antuerpia enim, post duodecim oppugnationis dies, potiti, Gandavio, Brugis, Ostenda occupatis, regionem omnem iam manu tenent, licetque sic iis exercitum suum in Gallia augere, ubi epica illa pugna, quae ab Idibus Septembribus per immensum frontem, ab Atlantico oceano ad Helvetiae fines, geritur, ad ultimum dimicationis nondum venit. Belgicum gubernium ad Havre portum primum hospitio Galli excepere, deinde, in Guernsey insulam, tutiorem locum, Angli.

Galli interim, clarigatione usi, reprehendere bona omnia, mobilia sive, sive immobilia, constituerunt, quae Teutones omnes sociates in Gallia possiderent. Hoc profecto gravi decreto re aboleriverunt regulam aliam internationalis

iuris hucusque constantem, privatas scilicet proprietates inviolabiles observandi. Ecce vero iuris aut consuetudinis normae pars sum est in isto bello?

Quod spectat ad decertationes Austros inter et Serbos eorumque socios, constat hosce, omnino a Bosniaca regione depulsos, suas terras ab hostium incursione defendere omnino nunc debere. Hic ultimum discrimin oriturum praevidetur, vix Austriacis septentrionalia negotia facultatem faciant necessarias copias mittendi.

Si denique ad mare nos convertamus, minutus pugnas omittentes quae varia fortuna factae sunt praecipue inter Anglos et Germanos, id unice adnotacione dignum praebetur, Iaponenses nondum in dictionem suam prorsus redigere Germanicam coloniam ad Tsing-Tao valuisse, et rebellionem quamdam adversus Anglos in Transvaaliana regione agitatum, facile esse subactam.

**

Inter tot luctus a bello allatos **alia funera** atra mors per superiorem Octobrem mensem populis comparavit. In Rumania repentina morbo corripitur Carolus rex, qui ex Teutona gente de Hohenzollern natus an. MDCCLXIX et populi scito ad Rumenorum rem publicam regendam vocatus an. MDCCCLXVI, vere conditor illius regni habendus est, quod in civitate firmavit et apud exteris gentes in magnam aestimationem adduxit. Ei, masculina prole carenti, nepos ex fratre succedit, nomine Ferdinandus I.

Romae, vix post mensem a quo magistratum assumpsit, fato concedit Dominicus Ferrata, Purpuratus Pater, quem novus Pontifex Benedictus XV a Secretis Status delegerat; paucisque diebus post, vita fungitur Antonius Di San Giuliano, exterorum Italiae negotiorum minister, quae summa prudentia maxi-

moque consilio moderabatur, prout ex recentibus tristibus eventibus luculentissime patuit. Eius letum prima fortasse causae exstitit, ob quam Italorum administratorum collegium a gubernanda publica re sese hisce diebus abdicavit.

**

Serajevo in urbe **causa publica acta est de nece Francisci Ferdinandi**, Austrorum Magni Ducis, imperii haeredis, unde scintilla magni incendi exarsit, qua Europa flagrat. Instigatores quinque et coniurationis auctores capitis damnavi sunt; qui caedem fecere, Princip et Cabrinovic, utpote aetate nondum matura, duri carceris per annos viginti poenas luent.

**

In **Albania** inter tot dominandi cupidos, Essad ille plebis turbator, qui a principe De Wied patria expulsus fuerat, non solum domum rediit, sed in possessionem Dyrachii sese immisit; quod rerum confusionem auxit intestinaque odia. Quae ad compescenda, utque publicum ordinem servarent, ci-viumque salutem tuerentur, Italicum gubernium Graecumque, quum ceterae nationes, quibus pro tempore iuxta Londonense foedus Albaniæ tutela commissa fuit, bello distineantur, alterum Saxenum insulam, coram Vallonae liture, alterum Epirum circa Argyrocastrum occuparunt. Inde quies quaedam spe-randa est; dummodo ne ex novo igni a Turcico gubernio, ut supra diximus, incenso, et freta haec lata relucere debeant.

**

Ex Mexicana denique **civitate** inter sese nunc contendere nunciantur militum supremi magistri Carranza, qui Huertae in rei publicae imperio successit, et Agui-lar, illud munus, ut videtur, sibi appetens. Et sic itur ad astra!

Kalendis Novembribus MCMXIV.

POPULICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Inter lectores qui pro sua humilitate per otium hoc in singulos menses me comitantur, neminem iam nunc esse puto, cuius ad aures **recentissimum** Dominici Argentieri, sacerdotis Aquilani, **inventum** non pervenerit; qui quidem eo processit, ut per machinulam quamdam suam, filis quibuslibet electricae lucis ductoribus aptatam, telegrammata vel a longissimis regionibus per Marconianam rationem transmissa interciperet. Res mirabilis profecto, quaeque in electricae doctrinae studio atque investigationibus cursum late diriget alio, quod fortunatum, bonum faustumque humano generi ex animo omniumur. Pauci vero contra sunt, opinor, in iisque fortasse non ipsum Argentierum, qui neverint *humanistas* illos doctissimos saeculi xv ulteriora de hac re praedivinasse, imo etiam descriptsisse; quippe quae, nedum hastis et apparatu illo Marconiam grandiore, difficili multorumque nummorum egerent, subtilissimis quibusvis electridis transmissoriis filis carere possent.

Legite, quaeso, iudiciumque feratis; quin etiam scribite si qui de re doctores estis; utiles enim, non tantum iucundae, animadversiones vestrae, quas libentissime referam, cuique haud dubie evadent:

Magnesi genus est lapidis mirabile, cui si Corpora ferri plura, stylosve admoveris; inde Non modo vim motumque trahent, quo semper

ad Ursam,

Quae lucet vicina polo se vertere tentent;
Verum etiam mira inter se ratione modoque
Quotquot eum lapidem tetigere styli, simul omnes
Conspirare situm motumque videlicis in u. u.
Ut si forte ex his aliquis Romae moveatur,
Alter ad hunc motum, quamvis sit dissitus longe,
Arcano se naturai foedere vertat.

Ergo age, si quid scire voles, qui distat, amicum, Ad quem nulla accedere possit epistola; sume Planum orbem patulumque, notas elementaque [prima

Ordine, quo discunt pueri, describe per horas Extremas orbis: medioque repone iacentem, Qui tetigit magna, stylum; ut versatilis inde Litterulam quamcumque velis, contingere possit. Huius ad exemplum, simili fabricaveris orbem Margine descriptum, munitumque indice ferri, Ferri quod motum magnete accepit ab illo. Hunc orbem discessurus sibi portet amicus. Conveniatque prius, quo tempore, quiesce diebus Exploret, stylus an trepidet, quidve indice signet.

His ita compositis, si clam cupis alloqui amicum, Quem procul a tete terrai distinet ora; Orbi adiunge manum, ferrum versatile tracta. Hic disposita vides elementa in margine toto: Queis opus est ad verba notis, huc dirige ferrum, Litterulasque, modo hanc, modo et illam cuspide

[tange,

Dum ferrum per eas iterumque iterumque rotando, Componas singulatim sensa omnia mentis. Mira fides: longe qui distat cernit amicus Nullius impulsu trepidare volubile ferrum, Nunc huc, nunc illuc discurrere: conscius haeret, Observatque styli ductum, sequiturque legendo Hinc atque hinc elementa, quibus in verba coactis Quid sit opus sentit, ferroque interprete discit. Quin etiam cum stare stylum videt, ipse vicissim Si quae respondenda putat simili ratione Litterulis varie tactis, describit amico.

O utinam haec ratio scribendi prodeat usu! Caution, et citior properaret epistola, nullas Latronum verita insidias, fluviosque morantes.

Haec, — proh miserum fatum! scripto tantum commissa, — leguntur apud Famiani Stradae Academiam (Prol. vi, acad. ii), a Petro illo Bembo, litterarum et bonarum artium suae aetatis instauratore, enunciata.

**

Quum de mittendis epistolis mentio incidit, sinatis, quaeso, ut signum cursus publici hic posteritati tradam, quod hisce diebus Brixtinorio in oppido apud Forum Livii legi: de integro enim quum

statio illa cursoria nunc instauretur, disposito iam novo litterarum receptaculo, quis scit quo demum vetusta ea atque elegans simul inscriptio disiiciatur? Cuius tenor hic est:

DIVITI ET INOPI
ULTRO CITROQUE MEANDUM

**

Iocosa.

Argentarii cuiusdam cogitationes: — Vix puer, dimissa vesticula, femoralia induit, naturali sensu crumenam in iis mature investigat; factus vir, aliorum crumenas sedulo appetit.

**

Inter poetam et iudicem criticum.

- Legistine carmina mea?
- Ecquid non?
- Confido te ultro profluentia ea invenisse: minimo enim mihi constant.
- Equidem nullum pretium habent!

**

Aenigmata.

I.

Tribus componor partibus:
Cervice, ventre, pedeque.
Cervix venterque similes;
Quibus si *pedem* singulis
Iunges, habebis veterem
Urbem pinguis Campaniae.
Vasa sunt *tota*. Quaerite.

II.

Quid *prima* sunt? Adverbium.
Quid sunt, lectores, *altera*?
Et pondera, et denarii.
Quid *tota*? Quaere sedulus,
Inter genus volatilie.

(Aenigmata in superiore fasciculo propria tis respondent: 1] *B-rasilia*: 2] *A-frica*).

Librorum recensio.

Ad Pontifices, seu iugis Pontificatus historia.
Sequentia... a BENEDICTO PALADINO exarata. — Campo Ligure, 1913.

Hanc Sequentiam Paladinus composuit in recens celebrata festa Constantiniana; quam nactus opportunitatem, Romani Pontificatus victorias adversus tenebrarum potestates generatim decantavit. Fasciculus octo tantum constat paginis, versusque latinos continet non unius rythmi, adiecta interpretatione metrica italica. Maluit auctor, neglecta quantitate syllabarum, metro uti mediaevali et versibus sibi assonantibus; in quibus plura quidem decora nitent, alia tamen mihi visa sunt subobscura, aut ad pronuntiandum aspera, uti v. g. versus ille: « Quae (Roma) cum graves portes caedes ». Bis etiam auctor usus voce *aether*, accusativum graecum *aethera* accipit aut pro nominativo vel ablattivo singulari, aut pro neutro plurali: quod utrumque bona latinitas excludit.

F. X. R.

Libri dono accepti.

P. GILLET. *L'educazione del carattere.* Traduzione dal Francese. — Editionem alteram Romae edid. Desclée et Socii. — (Ven. lib. 2).

Vita della Beata Margherita Maria Alacoque dell'Ordine della Visitazione di Santa Maria pubblicata dal Monastero di Paray-le-Monial. Versione italiana illustrata per cura del Monastero di Roma. — Indidem. — (Ven. lib. 3).

Mons. DE LA BOUILLERIE. *Meditazioni sull'Eucaristia.* Traduzione italiana sulla 61ma edizione francese del Sac. Decio Botti. — Indidem. — (Ven. lib. 1,50).

Almanacco illustrato delle famiglie cattoliche per l'anno di grazia 1915. — Indidem — (Ven. lib. 0,50).

Prof. FEDELE SAVIO. *Breve storia della Chiesa ad uso delle Scuole di Religione.* Vol. I. Il

primo evo (1-476); vol. II. Il medio evo (476-1492); volume III. Evo moderno (1492-1903). — Augustae Taurinorum ex officina I. B. Berruti (*Libreria del S. Cuore di G. B. Berruti*, rimpetto ai SS. Martiri). — (Ven. lib. 3; singula autem volumina ven. lib. 1).


Prof. RODOLFO BETTAZZI. *La Giovinezza e la Moralità.* Editio altera. — Augustae Taurinorum, Catanae, Parmae edid. Internationalis Societas ad bonos libros evulgandos (S. A. I. D.) — (Ven. lib. 0,70).

FERRUCCIO VALENTE. *Excelsior!* — Indem. — (Ven. lib. 1,50).

La buona strenna. Calendario illustrato pel 1915. — Indidem.

P. BERNARDINO DA MONTICCHIO. *Gli splendori della verità.* — Romae, ex off. Rigotti. — (Ven. lib. 2,50).

G. PICCOLINI. *La topografia del tempio di Giove Laziale e la costruzione dell'Eremitorio sul Monte Cavo.* — Cryptaferratae ad Romanum, ex off. Italo-Orientali « S. Nilius », 1914.



ROMA SACRA

Ex Congregatione Studiorum.

Theses quaedam, in doctrina S. Thomae Aquinatis contentae, a philosophiae magistris post « Motu proprio » Pii PP. X fel. re. « Doctoris Angelici » edito die xxix mens. Iulii mcmxix propositae, et a S. Congregatione Studiorum adprobatae (1).

I. Potentia et actus ita dividunt ens, ut quidquid est, vel sit actus purus, vel ex potentia et actu tamquam primis atque intrinsecis principiis necessario coalescat.

II. Actus, utpote perfectio, non limitatur nisi per potentiam, quae est capacitas perfectionis. Proinde in quo ordine actus est purus, in eodem nonnisi illimitatus et unicus exsistit; ubi vero est finitus ac multiplex, in veram incidit cum potentia compositionem.

III. Quapropter in absoluta ipsius esse ratione unus est simplicissimus, cetera cuncta quae ipsum esse participant, naturam habent qua esse coactatur, ac tamquam distinctis realiter principiis, essentia et esse constant.

IV. Ens, quod denominatur ab esse, non univoce de Deo ac de creaturis dicitur, nec tamen prorsus aequivoce, sed analogice, analogia tum attributionis tum proportionatatis.

(1) Cfr. *Alma Roma*, fasc. III, pag. 59 et fasc. VI, pag. 107.

V. Est praeterea in omni creatura realis compositio subiecti subsistentis cum formis secundario additis, sive accidentibus: ea vero, nisi esse realiter in essentia distineta recipetur, intelligi non posset.

VI. Praeter absoluta accidentia est etiam relativum, sive *ad aliquid*. Quamvis enim *ad aliquid* non significet secundum propriam rationem aliquid alicui inhaerens, saepe tamen causam in rebus habet, et ideo realem entitatem distincta a subiecto.

VII. Creatura spiritualis est in sua essentia omnino simplex. Sed remanet in ea compositio duplex: essentiae cum esse et substantiae cum accidentibus.

VIII. Creatura vero corporalis est quoad ipsam essentiam composita potentia et actu; quae potentia et actus ordinis essentiae, materiae et formae nominibus designantur.

IX. Earum partium neutra per se esse habet, nec per se producitur vel corrumptitur, nec ponitur in praedicamento nisi reductive ut principium substantiale.

X. Etsi corpoream naturam extensio in partes integrales consequitur, non tamen idem est corpori esse substantiam et esse quantum. Substantia quippe ratione sui indivisibilis est, non quidem ad modum puncti, sed ad modum eius quod est extra ordinem dimensionis. Quantitas vero, quae extensionem substantiae tribuit, a substantia realiter differt, et est veri nominis accidentis.

XI. Quantitate signata materia principium est individuationis, id est, numericae distinctionis, quae in puris spiritibus esse non potest, unius individui ab alio in eadem natura specifica.

XII. Eadem efficitur quantitate ut corpus circumscriptive sit in loco, et in uno tantum loco de quacumque potentia per hunc modum esse possit.

XIII. Corpora dividuntur bifariam: quae-dam enim sunt viventia, quaedam expertia vitae. In viventibus, ut in eodem subiecto pars movens et pars mota per se habeantur, forma substantialis, animae nomine designata, requirit organicam dispositionem, seu partes heterogeneas.

XIV. Vegetalis et sensilis ordinis animae nequaquam per se subsistunt, nec per se producuntur, sed sunt tantummodo ut principium quo vivens est et vivit, et cum a materia se totis dependeant, corrupto compotio, eo ipso per accidens corrumpuntur.

XV. Contra, per se subsistit anima humana, quae, cum subiecto sufficienter disposito potest infundi, a Deo creatur, et sua natura incorruptibilis est atque immortalis.

XVI. Eadem anima rationalis ita unitur corpori, ut sit eiusdem forma substantialis unica, et per ipsam habet homo ut sit homo et animal et vivens et corpus et substantia et ens. Tribuit igitur anima homini omnem gradum perfectionis essentialis; insuper communicat corpori actum essendi, quo ipsa est.

XVII. Duplicis ordinis facultates, organicae et inorganicae, ex anima humana per naturalem resultantiam emanant: priores, ad quas sensus pertinet, in composito subiectantur, posteriores in anima sola. Est igitur intellectus facultas ab organo intrinsece independens.

XVIII. Immaterialitatem necessario sequitur intellectualitas, et ita quidem ut secundum gradus elongationis a materia, sint quoque gradus intellectualitatis. Adaequatum intellectus obiectum est communiter ipsum ens; proprium vero intellectus humani in praesenti statu unionis, quidditatis abstractis a conditionibus materialibus continetur.

XIX. Cognitionem ergo accipimus a rebus sensibiliibus. Cum autem sensible non sit intelligibile in actu, praeter intellectum for-

maliter intelligentem, admittenda est in anima virtus activa, quae species intelligibiles a phantasmatis abstrahat.

XX. Per has species directe universalia cognoscimus; singularia sensu attingimus tum etiam intellectu per conversionem ad phantasmatum; ad cognitionem vero spiritualium per analogiam ascendimus.

XXI. Intellectum sequitur, non praecedit, voluntas, quae necessario appetit id quod sibi praesentatur tamquam bonum ex omni parte explens appetitum, sed inter plura bona, quae iudicio mutabili appetenda ponuntur, libere eligit. Sequitur proinde electione iudicium practicum ultimum; at quod sit ultimum, voluntas efficit.

XXII. Deum esse neque immediata intuitione percipimus, neque a priori demonstramus, sed utique a posteriori, hoc est, per ea quae facta sunt, ducto argumento ab effectibus ad causam: videlicet, a rebus quae moventur et sui motus principium adaequatum esse non possunt, ad primum motorem immobilem; a processu rerum mundanarum e causis inter se subordinatis, ad primam causam incausatam; a corruptibilibus quae aequaliter se habent ad esse et non esse, ad ens absolute necessarium; ab iis quae secundum minoratas perfectiones essendi, vivendi, intelligendi, plus et minus sunt, vivunt, intelligunt, ad eum qui est maxime intelligens, maxime vivens, maxime ens; denique, ab ordine universi ad intellectum separatum qui res ordinavit, dispositus, et dirigit ad finem.

XXIII. Divina Essentia, per hoc quod exercitiae actualitati ipsius esse identificatur, seu per hoc quod est ipsum Esse subsistens, in sua veluti metaphysica ratione bene nobis constituta proponitur, et per hoc idem rationem nobis exhibet suae infinitatis in perfectione.

XXIV. Ipsa igitur puritate sui esse, a finitis omnibus rebus secernit Deus. Inde infertur primo, mundum nonnisi per creationem a Deo procedere potuisse; deinde virtutem creativam, qua per se primo attingitur ens in quantum ens, nec miraculose ulli finitae naturae esse communicabilem; nullum denique creatum agens in esse cuiuscumque effectus influere, nisi motione accepta a prima Causa.

(Ex deer. d. xxvii mens. Iulii MCMXIV).

FRIDIANUS SIVE

De incondito adulescente⁽¹⁾

(In globulum summae subuculae retro impositum focalis ocellum immittere satagit; frustra tamen; quinimo globulus avel-litur). Avi nostri felices, qui huiuscmodi emplastris carebant! Globulus refluxus est! Quid nunc mihi? Item aptabo. (Fasciolam arcte nodat ut contineat focale, cuius vero cuspides e fasciola ipsa extra rationem emergunt). Modo patagiato pectorali sit locus. (Sibi inducit, at in globulorum ordine decipitur). Asinina stirps sartoris! Pectorale confecit ex altera parte longius!... En denique venustissima hirundinea caracalla. (Thoracem induit, cuius collare rectum remanet). Capiti hoc exquisitissimae pariter artis specimen imposito, (Exequitur) sponsus vere sum... (Sternutat). Epiphora me opprescit. Linteoli memento. Quin etiam, duorum: muccinii, alterius; alterius, sudarioli. (Ex armario quaerit, in eoque submovet omnia; tracta linta, alterum inter subuculam et pectorale collocat, alterum in caracallae postica crumena; ita tamen, ut lacinia pendens appareat. Tumidus tum in cubiculo spatiatur, patrem elata voce compellans). — Propera, patre, exi... In promptu ego sum...

CAL. (intus). — Mane, ne clames, adsum etenim.

FRID. — Ades? Evidem te non video.

CAL. — Chlamydem sumo.

FRID. — Et ego patientiam rumpo!

CAL. (redit opportune concinnatus). — Nihil rumpendum, neque patrem verbis conficiendum... (Videt Fridiani ornatum) Hui! quid video? Me tam insa-

num putas, ut sinam hoc ritu te mecum prodire?

FRID. — Mirabar mihi contumeliarum verberationi te parcere posse! Ecquid deest mihi?

CAL. — Imo satis superque sunt omnia! (Affabiliter deinde alloquitur). Momentum unum mecum perpetere, meque ad speculum sequarem. (Manu tenens Fridianum, ad speculum adducit). Te ipse aspicias.

FRID. (Spectat sese ad speculum, deinde incuriose): Ego quidem huiuscmodi tricis non distineo.

CAL. — Atque tamen ceteris risum ex te creare mavis?

FRID. — Nimia est miseria, ait philosophus, pulchrum esse hominem nimis.

CAL. — Atqui miseria non minor ludibrio sponte sese oblicere. Sine ut te pauxillum apte componam. (Dum pater Fridiani cultum in vestibus reficit, vultu, gestu, ore impatientiam ille morae significat. Calogerus in primis auratum malteolum indusii et focalis foraminis aptat). Placide aliquot momenta perdures, teque reddam forma regia. Dii te fortunent! Bellulus es puer, vita mea, mea festivitas; quid inconcinnus vis apparere?... Mane; fasciola recte circumvolvenda est, ne obliquus fiat nodus eius. Globulorum ordinem in pectorali hoc neglexisti, ita ut latus alterum cedat promissius. En; pectorale hoc exemplum videtur super gypseo te factum: tantum tibi quadrat! Caracallae huius deprimamus collare; muccinium, quod ad pectus induxisti, in posticam crumenam; sudariolum, ex adverso, ad pectus transferendum est...

(1) Cfr. num. sup.

FRID. — Finis nondum?

CAL. — Galerus ne transvorsus agatur... Peniculo detergas femoralia; nonne vides quam sordida sunt? (*Quum paulatim quae dixit est exequutus, filium eorum speculo reducit*). Ecquid nunc tibi?

FRID. — Magis ridiculum caput mihi videor quam antea. Aequae enim ego odi subtilitatem atque angues. Quando hominem video ita finitum, ut ab eius vestibus absint omnino rugae ac sinus, dico statim: «Obtusa prorsus animi acies misero huic homini est!» Meo iudicio, animi imbecillitas iuxta accusationis rationem crescit.

CAL. — Si igitur ad huiusmodi praecincta nos revocaverimus, tu profecto sapientissimus omnium quos terra sustinet iudicandus eris: nullus enim homo inconditus magis inveniri poterit, quam tu.

FRID. — Me quidem lex exceptit...

CAL. — Dic unum saltem dictum de dictis melioribus!

FRID. — Neque de melioribus nunc, neque de peioribus: manebimus enim domi an prodibimus?

CAL. — Eamus igitur. — Ehus, Stasime!

STASIMUS (*accurrens*). — Exspecto quid velis, domine mi.

CAL. — Ex aedibus nos edimus foras. STA. — Sit cum diis benevolis.

CAL. (*ad Fridianum conversus*). — Ohe, Fridiane, certiore te reddidisti pilentum iam ad postes esse?

FRID. — Ecquod pilentum?

CAL. — Numne conduxisti? Vis igitur ut pedibus eam turbida hac tempestate?

FRID. — De mente omnino mihi decidit. Qui vero non mente utitur, crura adigat. Evolo...

CAL. — Ubi illud quaeras, aut quo nunc intendas?

FRID. — Pax! Videbis me, tamquam fulminis ictum, ire ac redire cum pilento. (*Praecepis egreditur*).

CAL. — Umbellam sume; madefies etenim! (*Sequitur eum usque ad ostium*). Iis it gradibus, ut nemo possit consequi tam strenue!... Ah, negotiorum huiusmodi odium tandem coepi! Nova semper oriuntur ex negligentissimo hoc puer! Quocum perpetuo acta res agitur, lapidemque verberas ac perdis manum!

STA. — Credendum est, si pluat, sese in aliquem locum recepturum.

CAL. — Vere is homo est, qui rem suam diligenter tutetur!... (*Ad speculum appropinquat*). Quaeso, inspice me, si omnia in cultu meo sapienter disposita sint et consilio bono. Ita enim Fridianus me sollicitavit, ut speculum consulere prorsus nequierim. Pudet autem me ludos fieri cano capite atque alba barba.

STA. — Nihil supra. Forma es luculenta ita non ut olim, sed uti nunc sane bona.

CAL. — Illudis me...

STA. — Vera dico: iuvenis videris.

CAL. — Proh! videor; non sum amplius! Deturbavit ventus tectum et tegulas... Interim filius ille meus...

STA. — Absurde facis qui angas te animi. Vehicularum enim statio proxima est: actutum reveniet. Quinimo, ni fallor, heic iam est cum pilento. Rotarum stridorem nonne audis?

FRIDIANUS. — (*Revertitur luto profusus*). Ex cursura anhelitum etiam duco!

CAL. — O dii boni! Quidnam fecisti?

STA. — (*Praesagiebat mihi animus!*)

FRID. — Feci faciendum mihi. Unus ipse poteram sub hac pluvia conducticium pilentum invenire.

CAL. — Te in hanc lutu congeriem redactum esse!

(*Ad proximum numerum*). I. F.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (Via Umbria, 27).

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4½; sh. 10; coron. 12) ante solverendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~

Sociis et Lectoribus Commentarii nostri humanissimis Natalicios Domini dies et novum annum proxime advenientes bonos, faustos, felices ex animo ominamur, utque imprimis liceat tranquilla tandem ea pace frui, quam boni omnes in Christo enixe appetunt.

Quo studio quibusve rationibus ad perficienda per annum MCMXV consilia et proposita nostra nos accingamus, spatio hodie deficiente, in proximo numero late explanabimus; id unum iam nunc affirmare iuverit, nos summopere enisuros ut hunc Almae Romae commentarium plurimorum favore dignum in dies persequamur; quem quidem favorem non tam nobis, quam gravissimo, quem aggressi sumus, inceptui iterum iterumque invocamus.

Qui igitur nomen suum societati nostrae dederunt, non solum officia sua diligenter servare velint, sed viros alios ad nos, pro sua humanitate, attrahere satagent; qui autem, accepto laboris nostri specimine, ancipites adhuc manserint, haesitationem interrumpant suam-

que mittant subnotationem. Omnes denique qui nondum consociationis premium solverunt, debitum suum in mentem sibi revocent, cuius satisfactio vitalis res nostra est.

Non inopportunum denique erit repetere, premium subnotationis a primo Almae Romae fasciculo, qui Idibus Maiis MCMXIV prodiit, ad expletum annum MCMXV ita per exceptionem fuisse imminutum, ut sit in Italia libell. 14; ubique extra Italiam libell. 17; dummodo tamen recto tramite mittatur ad Josephum Fornari doctorem, Roma - Via del Governo Vecchio, 96.

A. R.

Quum sit nobis confirmatum, cursus publicos, in regionibus etiam ubi adhuc in Europa geritur bellum, optime fuisse restitutos, foliaque typis impressa iam nunc ex Italiae finibus quaquaversus iterum dirigi posse, numerum hunc Almae Romae ad socios quoque illos mittimus, quorum in cautelam superiores omnes fasciculos a mense Augusto diligenter custodivimus. Velint hi, pro humanitate sua et ad quietem nostram, de acceptione nos certiores facere.